

F.K.
118,
44.

(X1882537) *De familiis Principum Europ. sec. XVII. et XVIII. extinctis.*

II m
75

Q. D. B. V.

AD SPECTANDAM
PLENAM ACERBISSIMI LUCTUS TRAGOEDIAM,
videlicet

CONRADI NUM

CONRADI IV. IMPER. FILIUM,
FRIDERICII II. NEPOTEM, FAMI-
LIAE SUEVICÆ ULTIMUM

à
CAROLO ANDEGAVENSI,
LUDOVICI SANCTI GALLIARUM
REGIS FRATRE SACERRIMO, CUM
FRIDERICO DUCE AUSTRIÆ, ITI-
DEM GENTIS SUÆ POSTREMO,

Vere tragico scelere

A.C. M. CC. LXVIII. d. XXVI. OCTOBR.
CRUDELI CARNIFICIS MANU NECATUM,

QVAM

ACTIONE SCENICA, IN ÆDIBUS NOBILISSIMI
SENATUS NUPTIARUM SOLENNIBUS DESTINATIS, DIE XV.
APRILIS, HORIS A SECUNDA POMERID. SCHOLASTI-
CA JUVENTUS REPRÆSENTARE CONA-
BITUR,

PROCERES & PATRES
OMNESq; REI LITERARIÆ PA-
TRONOS DECENTER ATq; AMI-
CE INVITAT

JONAS GELENIUS, CRUCIANÆ
SCHOLÆ RECTOR.

DRESDÆ,

Imprimebat Johannes Riedelius, Elector. Saxon. Typogra-
phus Aulicus.





Vod sapientissimus Regum Salomon,
Qvi genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstinxit, stellas exortus ut ætherius Sol,
alicubi pronu nciavit: *Generatio præterit, & generatio advenit*, id quam veritate sit fundamentum, non humiles tantum atq; plebejæ, sed ut fit in rebus humanis, in quibus fluxa atq; caduca sunt omnia, Regum etiam atq; Principum, aliorumq; illustrium Virorum familiæ factis abundeque declarant. Quamquam enim supremo placuit Numini nobilitatem generisq; claritudinem multis iisque maximis sæpire ornamentis, ut in reliquo mortalium coetu quasi Dii quidam mortales Principes atq; Dynastæ emineant, nescio tamen quomodo inter reliquas clades, quæ in eminentium capita nimium quantum sæpe detonant, hæc non postrema sit, quod illustres eorum familiæ, in multos licet diffusæ ramos, in multos transplantatæ furculos, non sine omnium admiratione, provinciarum suarum luctu inopinatè exarescant. In memoriam si redimus priscorum temporum, ubi hodie tot splendissimæ quatuor Monarchiarum familiæ? occubuerunt. Ubi Æacidarum & Heraclidarum clarissimæ apud Græcos gentes? fuere. Ubi Camillorum, Æmiliorum, Claudiorum, Maniliorum, Scaurorum, Marcellorum, Pompejorum aliarumq; tam illustribus celebratarum præconiis familiarum stirpes? exaruerunt. Ubi Carolingorum, Francorum, Svevorum, Lucelburgicorum Imperatorii sanguinis gentes? extinctæ sunt. Et certe non unius alteriusque pagellæ, sed justi voluminis negotium foret, vel præcipuas tantum Europæ nostræ illustres familias, quæ paucis abhinc seculis cum pulvisculo, ut Plautinè di-

dicam, perierunt, recensere; quæ superiore seculo celeberrimo Oldenburgico Chronico Theologo L. Hammelman-
 num concinnasse sunt qui memorant, quod tamen, sedulo
 licet investigatum, diligentiam nostram effugit. Juvat in-
 terim Discipulorum præcipue causa maxime illustres Europæ
 memorare familias, quæ hoc, quod jam ab occasu suo haud
 longe abest, atque superiori seculo, nullo sui, præter rectè,
 aut secus factorum memoriam, relicto vestigio extinctæ
 sunt. Ut itaque nihil de Galeaciorum gente, quæ in car-
 ceribus felicitatis suæ metam attigit, hic memorem, A. 1511.
 Wilhelmus Dux Juliacensis & Bergensis Comes ultimus fa-
 milia suæ mortuus est, cujus Filia Maria Johanni III. Duci
 Cliviæ hæc Dominia in dotem attulit. A. 1516. defecit in
 Ferdinando Catholico antiquissima Regum Arragoniæ, Ca-
 stiliæ, Siciliæ atque Neapolis familia, qui per filiam Johan-
 nam, Philippi Austriaci, Maximiliani I. Imperatoris filii Con-
 jugem amplissima hæc regna ad Austriacos transmisit; nisi
 forte Ferdinandum Calabriæ Ducem, Friderici Regis Nea-
 politani, à Ludovico XII. Rege Galliarum, & Ferdinando
 Catholico regno suo exuti, & in Gallia 1504. mortui, filium,
 qui in privati modum redactus Valentia 1559. vivendi fi-
 nem fecit, postremum hujus familia nominare volueris. A. 1530.
 Philibertus Princeps Arausionensis è Domo Cabillonia Caroli
 V. Imp. Dux exercitus, in oppugnatione Florentiæ occubuit,
 instituto hærede filio sororis suæ Renato Nassoviæ Comite, à
 quo ad familiam Nassoviam, & in hac modernum Angliæ Re-
 gem Wilhelmum III. Principatus Arausionensis pervenit. A.
 1533. moritur ultimus gentis suæ Joh. Georgius, Marchio Mont-
 ferratensis. Ditionem ejus crevere Duces Mantuæ, non si-
 ne gravi Sabaudia Ducum indignatione, qui tamen post
 centum annorum spatium pace Quierascensi in partem hu-
 jus Domini venerunt. A. 1542. exaruit illustrissimus Stuar-
 tæ familiae ramus in Jacobo V. Scotiae Rege, quem alii mœ-
 rore, alii autem veneno extinctum esse volunt. Quæ ho-
 die superest Stuartorum familia, hancque longa cognatione
 attingit, à Maria Stuart Jacobi V. filia, reginarum infelicissi-
 ma, quæ Henricum Stuart à Darle, Comitem Lenocensem,
 in maritum sibi adscivit, ad regiam dignitatem evecta est.
 A. 1549. interit cum Henrico II. Rege Navarrae familia Albreta-
 na, cujus filia Johanna Albretana Antonio Duci Bourboniensi,
 Henrici IV. Galliarum Regis Patri, nupta Regnum familiae Bur-
 bonicæ intulit. A. 1553. extincta est in Eduardo VI. Rege Angliæ,
 Hen-

Henrici VIII. filio, Henrici VII. sapientissimi sui temporis Re-
 gum, nepote Familia Lancaſtenſis, & poſt Mariam atq; Elifabe-
 tham Eduardi ſorores Scotis ad regnum hoc fecit aditum. A.
 1572. Periodum ſuam explevit familia Regum Poloniae Jagello-
 nica, cujus noviffimus fuit Sigismundus Auguſtus, Rex Polo-
 niae laudatiffimus. A. 1578 periiit familia Regum Portugal-
 liae in Sebaſtiano Poſthumo, qui in ferali expeditione Afri-
 cana cum flore Nobilitatis Luſitanicae caelus eſt. Qvan-
 quam non deſint, qui Pſeudo-Sebaſtianum, verum Sebaſtia-
 num fuiſſe exiſtiment, eumque per ſummum ſcelus poſt re-
 ditum e captivitate Mauritana ab Hiſpanis & regno & vita
 exutum contendant. A. 1583. exaruit ſtirps Comitum Prin-
 cipali dignitate Hennebergicorum obitu Georgii Erneſti, fa-
 miliae ſuae poſtremi, cujus ditiones, ut nemo neſcit, in Duces
 Saxoniae, Schmalcaldia & Dominio Franckenſteinensi ex-
 ceptis, quae Landgraviis Haſſo-Caſſelenſibus ceſſere, devolutae
 ſunt. A. 1589. mors ultima illa rerum linea delevit Regium
 ſtemma Valeſium in Henrico III. Galliarum Rege, qui a Ja-
 cobo Clemente, monacho Sectae Dominicanae ad D. Claudii
 cultro veneno tincto nefarie occiſus eſt. Supererat quidem
 a Carolo Fratre filius nothus Carolus Valeſius, Comes Ar-
 vernenſis & Dux Engoliſmenſis, qui 1650. in fata concedens
 duos reliquit filios, Comites de Alais, ſed & hi nullo relicto
 haerede malculo ad plures abiere. A. 1598. deſiit in Theo-
 doro, quem ſui Fedor Iwanoviz appellant, antiqva ſtirps
 Magnorum Ducum Moſcoviae & Ruſſiae. Atque haec ſunt
 maxime illuſtres familiae, quantum quidem legerememini,
 quae ſeculo ſuperiori defecere. Praeſentis hujus atque jam
 praecipitis A. 9. abruptit ſeriem Ducum Juliaci, Cliviae &
 Montium Joh. Wilhelmus, cujus Ducatus atque Dominia
 quantis diſſidiis occaſionem dedere, norunt & ii, qui rerum
 publicarum notitiam vel ſupremis labris deguſtavere. A. 1613.
 defecit in Sigismundo Bathori Principe Tranſylvaniae genus
 Bathoreorum de Somlio. A. 1618. occubuit Fridericus
 Henricus Dux Teſchinenſis in Sileſia *ἀπαισις*. Idem triſtiſſi-
 mum fatum ſubiit antiqviffima Ducum Pomeraniae fami-
 lia, quae A. 1637. extincta eſt in Bogislao XIV. cum ſub ini-
 tium hujus Seculi X. ejusdem Principes, aetate viribusq; in-
 tegris fuerint ſuperſtites. Ao. 1646. interiit cum Maximi-
 liano Adam ſtirps Landgraviorum Leuchtenbergienſium.
 Ditionem ejus Duces & Electores Bavariae creverunt. A.
 1647. occidit familia Munſterbergenſis & Oeſſenſis in Ca-
 rolo

rolo Friderico Duce, cujus Filiã Elitabetha Maria Ducatum
 Oelfensem cum Dominiis Steinberg & Medzibor in Mora-
 via Sylvio Nimrod Duci Württembergico in dotem attulit,
 cujus posterii etiamnum possident. A. 1672. desit peni-
 tus in Johanne Casimiro Rege Poloniae familia Vasarum seu
 Stureorum, quæ post Christiani II. Daniae Regis ejectionem
 per Gustavum I. Erici filium Regno Sveciae 1538. potita est,
 cum ramus Svecicus jam A. 1632. in Augustissimo Secu-
 li nostri Rege Gustavo Adolpho exaruisset. A. 1675. non
 minori jactura religionis Evangelicae, quam luctu subdito-
 rum suorum antiquissima Piasteorum familia cum Georgio
 Wilhelmo Duce Bregensi, Lignicensi & Wolaviensi contu-
 mulata est. A. 1689. Julius Franciscus finem imposuit stir-
 pi Ducum Saxo-Lauenburgensium, à cujus tamen stipite
 Principes Anhaltini originem repetunt. Comitum, Ba-
 ronum, Nobilium, aliorumque illustrium Virorum
 familias emortuas recensere longum foret, & supra vires
 nostras. Ita defecit familia Comitum à Königstein, Domi-
 norum in Epstein 1505. Comitum à Kirchberg 1510. Co-
 mitum Rupinensium in Marchia Brandeb. 1524. Comitum
 à Werdenberg 1534. Comitum Leisnicensium in Misnia
 1538. Comitum de Pymont in Philippo, qui in celebri ad
 Qvintini fanum pugna cecidit 1557. Comitum à Teklen-
 berg & Spiegelberg. 1558. Comitum à Bitsch & Zwenbrü-
 den/1570. Comitum in Hoja & Bruchausen in Ottone.
 eodem anno. Illustris & antiquissima Familia Jeveren-
 sium 1575. Comitum à Diphold 1585. Comitum ab Ho-
 henstein in Ernesto 1593. Eodem anno Comitum de Sayn &
 Muncklar. Comitum a Remstein & Blanckenburg in Er-
 nesto Henrico 1595. Comitum ab Helfenstein in Rudolpho
 1626. Comitum de Rosenberg, ex antiquissima Ursino-
 rum Italiae familia in Petro Vokone 1611. Comitum à Gle-
 chen & Pymont 1631. Comitum Ortenburgicorum 1640. Plures dabit
Sprengerus
in Lucerna
moderni sta-
tus Rom.
Imp.p.447.
448.
 Comitum de Barby in Ludovico Augusto 1659. Cujus Co-
 mitatum crevit Augustus Sax. Dux, Administrator Archi-E-
 piscopatus Magdeburgensis. Comitum Rappoltsteinen-
 sium in Joh. Jacobo 1673. Dura sanè atque lacrymosa illu-
 strium familiarum fata, quorum quidam etiam causas red-
 dere conati sunt. Minime omnium meam fecerim, quam
 Plutarchus, gravissimus alias Auctor, in medium adfert, di-
 vino nimirum id fieri consilio, *quia si potentum &
 divitum numerus augetur, actum esset de-*

Plutarchus
in Q. Sym-
pos.

Dec. I. Lib.
VII. Misc.
Bohem. c. 3.
p. 177.

Miscell.
Boh. Dec. II.
l. r. c. 18. p.
96. 97.

genere humano, non secus ac si luporum ex-
cresceret multitudo, actum fore de ovibus cla-
marent pastores. Itaque sapientissime provi-
disse naturam, ut paucissimi accipitres, plu-
rimae columbae, pauci lupi, oviculae pluri-
mae, (quarum prima est in animantium ge-
nere fecunditas) universim quae nocent, &
aliarum animantium mortibus vivunt, steri-
litate damnentur; contra mitissima anima-
lium & volucrum, quae dulci sanguine abun-
dant, numerosissima nascantur. Sed quam haec
odiosa, inque bonos Principes ac Dynastas injuria sint, ex
facili quisque perspicit. Idem Plutarchus, cumque eo Bohus-
laus Balbinus, celebris Jesuita, naturales quasdam causas, cur
praecipue Principum atque Nobilium familiae sterilitate pu-
niantur, atque adeo intercidant, in medium adferre conantur,
quales sunt: *Ira & furor*, (quae dulcem sangui-
nem amarum & ineptum foeturae reddunt) *tri-
stitia*, quae Nobilium corda marcent & saepe
flaccescunt, aliasque id genus: Sed & hic cum Plutarcho
Balbinus paulo nimius mihi videtur. Quot enim familiae,
licet prole mascula numerosa atque valentissima fultae atque
subnixae fuerint, pessimum ivere funditus. Boleslaus Swidni-
censis Dux ex tribus uxoribus XXVII. filios & IV. filias nu-
merabat, nihilominus discordia fratrum internecina effe-
ctum est, ut non esset, qui Patri succederet, ut Balbinus ipse in
Hofenmanni Genealogia Saalhausiana recenset. In vulgus
pernotuit de Babone Comite Aberspergeni, qui ex duabus
Conjugibus XXXII. filios & VIII. filias susceperat, atque ut fec-
unditatem suam ostentaret, viventes ac bene sanos omnes
Caesari obtulit, qui novitate rei delectatus, omnem gratiam
promisit. Sed paucis annis interjectis Nicolaus ab Abers-
berg huic tam numerosae stirpi finem imposuit. Taceo
Comitem Arnsbergium, qui XXXI. filios Pater moestissimus
in censum Libitinae retulit: Brunonem de Qverfurt, qui
multitudine filiorum obrui sibi videbatur, & ea de causa
saepe lacrymas profundere visus est, [nam tres ac viginti com-
putabat] qui tamen omnes postea extincti sunt. Credere
itaque potius fas est, divinam Providentiam, ut aliis rebus
huma-

humanis, ita familiis etiam illustribus certam temporis periodum metamque definiisse, quæ illæ arboris instar crescere, in patulos diffundi ramos, variis honorum, gloriæ ac potentia fructibus turgere, ac tandem iterum, quasi exhausto foeturae succo, senio marcescere atque exarescere debeant. Illud vero Saturni quoddam sidus atque occulti fati mirandam quendam dixeris potentiam, quod plerique ultimi profapiae crudeli ac violenta morte familiae suæ filium abrumpant. Non lubet jam ex prisca seculorum memoria hic repetere Antigonum, in quo ab Antonio occiso familia Assamoneorum defecit: Neronem generis humani foedissimam labem, in quo interempto gens Julia interiit: Heliogabalum impurissimum, in quo trucidato familia Antoniorum extincta est: Valentinianum Juniorem, in quo ab Argogasto strangulato genus Gratianorum periit; vel hoc atque superius ævum deploranda hujus rei exempla nobis suffecerit. De Sebastiano Portugalliae Rege superius audivimus, eum in expeditione Africana periisse, nec non Henricum III. Galliae Regem, postremum Valesiorum, à Monacho per summum parricidium ex numero viventium exturbatum esse. Nostro hoc seculo Henricus Dux Mommorancius 1631. & Marchio de Frangepan 1671. extremi stirpis suæ crudeli carnificis manu percussi atque necati sunt. Multos præterea qui aut vorticibus aquarum hausti, aut ruina ædium oppressi, aut præcipiti lapsu extincti, aut alio quodam, miserando tamen, lethi genere perierunt dabit Nobilitatis literatæ clarissimum fidus, Perillustris Baro de Valvassor, in absolutissimo opere Topographiæ Ducatus Carniolæ l. XI. p. 157. conf. Erasmi Francisci notas ibid. Sed nescio an tristius atque luctuosum magis hujus rei in historiarum monumentis legere est exemplum, quam quod in CONRADINO, CONRADI IV. Imp. filio, FRIDERICI II. Nepote, multorum regnorum ac imperii hærede unico, ultimoque imperatorii Ducum Sveviæ sanguinis, & Agnato ejus FRIDERICO AUSTRIÆ Duce, postremo itidem gentis suæ, seculi XIII. annus LXVIII. vidit & exhorruit. Detestabile semper atque execrandum apud posteros erit Caroli Ducis Andegavensis nomen, qui scelerato Clementis IV. Pontificis Romani impulsu postremos hos florentissimarum quondam Germaniæ familiarum furculos crudeli carnificis manu, una die, vere furva ac innominali, succidit, quod utriusque Siciliae Regni possessionem injuste arreptam sibi stabiliret. O Tyrannum foedissimum! atque elogio Petri Regis Arragoniæ, Nerone Neroniorem & Saracenis crudeliorem! cujus

Lanfrus
Consult. O-
rat. cont. Gal-
liam p. 292.
plura da-
bunt Brun-
ner. Annal.
Bojoar. p.
932. Facell.
de Rebus
Sic. l. 8. c. 4.
Gerrar. de

tru-

JK Tm 75

800 Ann. trucidantiam ipse Gener ipsius Robertus Flandriæ Comes ea tulit
 Austr. 1.1. impatientia, ut Protonotorium, Robertum Barium, qui è cathedra
 Crubi Ann. capitalem sententiam, tenuissimæ conditionis homo, adversus tan-
 Svev. part. tæ excellentiæ Principes pronunciaverat, tanquam vita indignum
 3. l. 27. c. 15. ense confoderit. Atque hanc miserandi exempli tragœdiam finito
 Heidegg. jam examine vernali in theatrum inducere, & pro virili sua explica-
 Hist. Pap. re cum in animum induxerint discipuli nostri, à Patronis, Fautori-
 period 4. p. bus atque Amicis quæ fieri potest observantia peto atque contendo,
 133. 134. ut laudatissimos eorum conatus, licet fortasse vires non usq; quaq;
 Boxhorn. responderint, honorifica præsentia & adpectu suo animare, & ad
 Hist. Univ. p 788. & alii capeffenda majora iis stimulos admovere ne dedignentur. Tanti
 ως μὴ ποῦνα- beneficii memoriam ne ulla unquam oblivio in animis nostris obli-
 κες ποῦνα- teret, omni cura atq; diligentia providebimus.
 2. ἀναγιῶ-
 πησαν.

PERSONÆ TRAGŒDIÆ.

- Conradinus Dux Sveviæ, Johannes Christophor. Wiesnerus, Dresd.
- Fridericus Dux Austriæ, Johannes Georgius Straube / Dresd.
- Elisabetha Mater Conradini, Gothofredus Serber / Cygneus.
- Nutrix Conradini, Johannes Christlieb Drechsler / Dresd.
- Girardus Pisanus, Dux Italiæ, Georgius Frider. Gmelin. Stuttgard.
- Hurnaisius Dux Militiæ, Theodorus Rudolphus Gast / Dresd.
- Marinus Capecius Dux Militiæ, Johannes Theodor. Köhler / Dresd.
- Rogerus Bussus, Dux Militiæ, Johan. Daniel Moris / μέγα-thimicenf.
- Wernerus Comes, Josua de Cölln, Dresd.
- Carolus Dux Andegaviensis, Samuel Gottlob Manitiq, Gehda Misn.
- Robertus Comes Flandriæ, Johannes Christophorus Creil / Cygn.
- Cosmannus Dux Militiæ Caroli, Johannes Theodor. Cramer / Dresd.
- Senator 1. Martinus Neumann / Sebniz. Misn.
- Senator 2. Johannes Christophorus Witschel.
- Senator 3. Paulus Gottschall / Plavia Varisc.
- Johannes de Frangipanis Asturiæ Præfectus, Samuel Benjamin Gumpelt / Apollendorf. Saxo.
- Robertus Bariensis Scriba, Samuel Gottlieb Reinhold / Kroppen. Misn.
- Piscator seu Nauta, Johannes Christianus Raschmann / Hayn. Misn.
- Nuntius Johannes Gottlob Schmied / Dresdens. Misn.
- Senex 1. Michaël Gattermann / Planiz. Misn.
- Senex 2. Johannes Löbel / μέγα-Milcaviens. Misn.
- Senex 3. Johannes Henricus Böhme / Cadizens. Misn.
- Nobilis adolescens Germanus, Johann. Georg. Zimmermann / Witt.
- Adolescens Germanus 1. Carolus Christophorus Frischmann / Rückersdorf. Misn.
- Adolescens Germanus 2. Gottfried Kern / Limbach. Misn.
- Nobilis Gallus 1. Johann Friedrich Zimmermann / Wittenberg.
- Nobilis Gallus 2. Johann Daniel Ranisch / Rabenaviens. Misn.
- Germ. Miles 1. Wolfgang Jacob Peschel / Ratisbonensis.
- Miles 2. Johannes Frenzel / Vanswicens. Misn.
- Miles 3. Gottofredus Hamann / Rosviniens. Misn.
- Miles fugitivus 1. Jacob Weber / Bischoffswerd. Misn.
- Miles fugitivus 2. David Hantsche / Seyferdorf. Misn.
- Ex his Joh. Christophorus Creil / Cygneus, & Martinus Neumann / Seebnizens. Misn. multæ probitatis atq; industriæ juvenes è Scholæ nostræ umbraculis in lucem Academiæ se conferent, quod ut feliciter illis eveniat, studiaq; eorum Reipublicæ sint fausta atq; salutaria, Divinum Numen supplex veneror P.P. in El.
- Dresda XIV. April. M. DC. XCV.

1077

MC



it, & g
 tum, non
 manis, in
 atqve Prin
 tis abunde
 cuit Num
 qve maxim
 coetu qua
 mineant,
 eminenti
 non post
 ceter diffu
 sine omni
 opinatè e
 temporu
 rum fami
 rum clari
 rum, Æn
 Marcellor
 lebrataru
 Caroling
 Imperato



n Salomon,
 ingenio superavit, & o
 us ut ætherius Sol,
 generatio præter-
 ram veritate sit funda-
 , sed ut fit in rebus hu-
 omnia, Regum etiam
 n Virorum familiæ fa-
 n enim supremo pla-
 aritudinem multis iis-
 n reliquo mortalium
 tipes atqve Dynastæ e-
 reliqvas clades, quæ in
 n sæpe detonant, hæc
 n familiæ, in multos li-
 tantatæ furculos, non
 rum suarum luctu in-
 si redimus priscorum
 e quatuor Monarchia-
 idarum & Heraclida-
 fuere. Ubi Camillo-
 miorum, Scaurorum,
 qve tam illustribus ce-
 rpes? exaruerè. Ubi
 am, Lucelburgicorum
 æ sunt. Et certe non
 unius alteriusqve pagellæ, sed juri voluminis negotium fo-
 ret, vel præcipuas tantum Europæ nostræ illustres fami-
 lias, quæ paucis abhinc seculis cum pulvisculo, ut Plautinè
 di-

